



Heu quo raperis Philippe! Quæ nubes egregiam indolem, et dignitatem Austriacæ domus in te reluctantem, et ingenuam educationem tam cito obduxit! Heu præcisas de admirabili uirtute tua spes orbis. Tene Diuus Maximilianus pater ad hoc genuit, ut paternis, et auitis Regnis specimen quoddam tamquam florem præberes; et fructus tamen incunctatam cæli inclementia non afferres! An cum te Deus optimus Maximus e Gallianis fluitibus, et immani procella seruauit, idem te penitus ex mandana tempestate eripere uoluit, ut Regna, quæ si diutius uixisses, uirtute comparasses; e cælis despiceres; et amico sydere Carolum, et Ferdinandum filios tamq̃ electa germina foueres. Excisa, non euulsa fuit arbor illa nobilis Austriaca; uiuæ radices extant; et propagines Austriacæ gloriæ, pro quibus orbis uniuersus celeberrimos laudum hymnos tibi perpetuo dedicabit.

Obijt anno chr. M D V I . ætatis suæ X X V I I I . Carolo, et Ferdinando, qui postea Imperatores fuerunt; Leonora primum Emanuelis Lusitanicæ, deinde Francisci Gallicæ, Isabellæ Christiæni Daciæ, Mariæ Ludouicæ Vngariæ, et Boemiæ, et Caterinæ Ioannis Lusitanicæ Regum Vxoribus, ex Ioanna Ferdinandi Hispanicæ Regis filia natis, superstitibus.